



**Quotidiana Christiani Militis Tessera**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1682**

27. Dies Augusti. Sacrilegii genus est, Dei odisse cultores. Salvianus I.8.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](#)

num Patri offerat: imò, non tantum Sacerdos, sed & alii, qui aliquid ad sacrificium conferunt, vel etiam ei ritè intersunt. Quantum igitur hinc potest nobis erigi fiducia quidvis impetrandi. Quis non intelligit, multò plus hīc Patri offerri, quam nos conferri nobis petimus, aut possimus petere? (a) Notum est ex D. Gregorio, cuiusdam captivi vincula, sacrificii tempore, quod uxor pro eo səpiùs fieri curabat, quoties fieret, fuisse soluta? sed Deus, si ob sacrificium conferat bona corporalia, multò ut libentiūs, sic & liberaliūs conferet spiritualia. Unde Justinianus Patriarcha Veneratus dicit, vii hujus sacrificii, (b) *Gentibus fidem, latiam mundo, credentibus gaudium, unitatem populis, Sacramentis legalibus finem, initium gratiae, virtuti robur, hominibus pacem, lucem mentibus, spem laborantibus, peregrinantibus viam, & pervenientibus tribui speciem* Hīc igitur, ut quidvis impetres, nil requiritur, nisi, ut credas, fidas, ut speres, fiducia, te per Christum quidvis obtenturum. Numis enim, quam certum est illud incerti Poetæ:

*Atria sunt cali, menti patescant a fidelī.*

## 27. DIES AUGUSTI.

Sacrilegii genus est, Dei odisse cultores.

*Salvianus l.8.*

Sacerdo- I.  
tes hono-  
rāndi.

**S**ubstituimus sacrificiis, eorum ministros, qui sacrificia peragunt, Sacerdotes: singulari cultu honorandos esse Sacerdotes, fuit ab omni sæculorum memoriâ, communis omnium

*Pars II.*

Vv

gen-

(a) *L. 4. Dialog. c. 2. (b) Serm. de Eucharist.*

674      *Christiani Militis*      Augustus  
gentium consensu. Illud enim propè ipso naturæ lu-  
mine intellexerunt, Sacerdotes, proximum Numini  
locum tenere, fieri Divinitatis veluti compotes, Bea-  
tarum mentium agere vitam, Divinorum consilio-  
rum esse participes, arcanorum interpretes, à Deo  
velut medios constitutos, ut multitudinem omnem  
expient, & ad felicissimam quandam sortem extol-  
lant. Deinde fuit hoc, omnibus etiam Barbaris,  
quasi à natura inditum; honorem benè meritis effe-  
tribuendum. Hinc, exhibitæ in bellis phalerae, in  
Circo, pompa; in theatro, coronæ; in prytaneo, vi-  
ctus; consecrationes, in foro; clypei, in fano, ubique  
statuæ. Hinc triumphi, hinc trophyis ornata vesi-  
bula, hinc laureata capita, hinc concinni civium  
plausus, & alia honoris argumenta, sive monumen-  
ta fluxerunt. Quæ verò beneficia excogitati possunt  
majora iis, quæ Sacerdotes hominibus conferunt.  
Illi edictum supremi Imperatoris, Dei, inquam, de-  
cretoriā sententiam, qua æternæ pœna sanctifi-  
tur, in scelerattos, incredibili auctoritate lacerant.  
Illi obstruunt Erebi fatices, & adamantinas celo-  
rum fores aperiunt; deletos de libro vitæ, iterum in-  
scribunt. Illi, ut Divini altores, Panem vivum nobis  
offerunt, Ambrosiamque cælestem: idem, in bello  
contra aëreas potestates, sunt Duces. Illi, in fluctu-  
ibus tentationum Phari, in morbis Medici, in nocte  
lumina, in adversa fortuna Paracleti. Illi nobis legem  
Divinam exponunt, ut Angeli, oracula expedient, ut  
Prophetæ.

II. Ob tot eorum in homines merita, totiis  
etiam ab Ethnicis indulta Privilegia. Apud Roma-  
nos, annona de publico aerario, iis attribuebatur.  
Quin

Quin & decimas ipsi Gentiles, ante Christi Adventum, iis pensitabant. Immunitatem item à communib[us] gravaminibus quibusvis, antiquissimo jure apud (a)Ethnicos, Sacerdotibus fuisse concessam, testatissimum est: ac teste Plutarcho, constat perpetuam illis vacationem à muneribus, immunitatemque à tributis, exactionibus, vectigalibus, congiariis, & hujusmodi quibusvis vulneribus fuisse tributam. Quod si Ethnici in cæca illa errorum caligine, solius naturæ lumine cognoverint honorandos sacerdotes: quantum necesse est esse scelis, Sacerdotibus non modò honorem non tribuere, sed debitum tollere. Id certè ejusmodi est, ut non alio, quam sacrilegii nomine donari possit. Patet id ex hodierna Tessera. Altius Assurgit S.Ignatius Martyr: (b) Sacerdotii dignitatem, qui furiose contemnit, non hominem ludit ignorantiā, sed Deum. Sed, quid quærimus testimonium humanum, cùm habeamus Divinum? (c) *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Deus, cùm vellet palam toti mundo testari, quanto in honore, pretio, amore haberet Sacerdotes, & haberi ab omnibus vellet: eos pupillam oculi sui nominavit; ut suæ florem benevolentiae, ut animi geminam, ut Divinæ auræ particulam pretiosam.

III. Hinc, gravissimas dant poenas Deo, qui spernunt Sacerdotes Dei. Integras subinde Provincias Deus diris calamitatibus involvit, ob injurias Sacerdotibus illatas. Salviatus scriquit, Africanam Provinciā à Barbaris affligi commeruisse; quod(d) Religiosorum habitum ludibriis, ac sanctis insectati fuissent,

Vv 2

Et

(a) In Camillo. (b) Ep.ad Smyr. (c) Zachar. 2. (d)  
I.8. de vero Iudi.

Et alibi, (a) Carthaginensium impietatem amplificat, quod Monachos, ac Dei servos, irrisio[n]um a culeis impeterent, salibus aspergerent, contumeliosi prosequerentur. Quid antiqua tempora repeto? nostram ætatem corruptissimam inspiciamus. Quod nam est convivium? quis circulus? quis conventus? quis cætus hominum? Ubi Ecclesiastici, Sacerdotes, Religiosi, petulantibus blaterorum dicacissimorum dicti non vapulant? Quot sunt etiam Catholici (si ita nominandi sunt; in quibus præter nomen nihil est Catholici) qui omnibus dixis devovent, exercentur, & plus quam Vatiniano odio insectantur eos; sine quibus, necesse foret eos fors æternū perire, illos, quorum ore absolvuntur à peccatis; et quorum manibus accipiunt cœlestem illum Panem Angelorum, quorum lingua, è pulpito instruntur ad salutem, quorum industriâ diriguntur in via ad vitam, quorum monitis reducuntur ab errore ad Veritatem, quorum præsidio declinant tot pericula, quorum exemplis inflammantur ad virtutem: quorum denique labore manu ducuntur ad cœlum. Dei est severè minantis, & severius puniti monitum, iudicatum: (b) *Nolite tangere Christos meos*, id est, Sacerdotes: Nolite non tantum tangere manus, percutiendo, sed nec lingua, detrahendo. Quisquis spreverit illud Dei minantis imperium, certò incurret Dei castigantis supplicium. Cave, & time, quia

*Tempora transibunt; sed non malefacta peribunt.*

28. DIES

(a) L.8. de vero Iudi. De provid. l. ultimo. (b)  
*Psal. 104. 5.*